

DOCUMENTUM

Litterae congratulatoriae SSmi Papae ad Illustr. Dominum Abbatem Generalem directae occasione jubilaei aurei sacerdotii.

Dilecto Filio Gommaro Crets Abbati Generali Ordinis Praemonstratensis Pius PP. XI.

Dilecte Fili,
salutem et apostolicam Benedictionem.

Pietate et scientia non modo obsignare proprium stemma, sed omnem vitae rationem distinguere et exornare est quidem propositum perquam nobile et famulatui divino plane respondens. Huic sane proposito tu constans perpetuo fuisti, praesertim quum abhinc annos quinquaginta, religiosae iam vitae vinculis suaviter adstrictus, sacerdotalem ordinem suscepisti. Pietate enim erga Deum proximosque miro studio inflammatus, sanctorumque scientia pariter imbutus, non solum magna prudentia tuorumque utilitate tot annos Abbatis Averbodiensis munus usque obiisti, sed principis quoque sapientiae christianae ac fundamenta in totam Belgarum regionem, ope praesertim Abbatiae scriptorum, diffundenda ac provehenda curasti. Quin immo sollerti opera tua et Seminarium Interdioecesanum in S. Pauli Brasiliensis dioecesi conditum est, et sodales tui primitus in Daniam missi sunt, ubi etiam Vicariatum Apostolicum in praesens moderantur. Quum autem decem ante annos Abbas Generalis creatus es, universi tui Ordinis bonum atque disciplinam, Constitutionibus ipsius reformatis aliisque subsidiis atque adiuventis, quam maxime promovisti. Merito igitur iureque optimo tibi, annum a suscepto sacerdotio quinquagesimum proxime expleturo, cuncti filii sodalesque tui laeto animo gratulantur, et Nosmet Ipsi, opportunam nact iocasionem, per hanc epistolam, praeciquam erga te benevolentiam gaudiumque animi Nostri profitemur, omnia tibi prospera, fausta ac felicia adprecantes. Dum autem iucundam tibi ac frugiferam senectutem a Domino ominamur, in auspiciis caeles-

tium gratiarum inque dilectionis Nostrae testimonium, Apostolicam Benedictionem tibi, Dilecte Fili, cunctoque Ordini tuo peramanter impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XXX mensis Maii, anno MDCCCCXXXII, Pontificatus Nostri undecimo.

PIUS PP. XI.